

de quibus supra, dist. 7. n. 11. & in aliis; quoniam in rebus, & veris regulatur sunt incapaces, in aliis autem sunt capaces, non ex aliqua lege, vel privilegio particulari, sed quia revera non sunt feuda, quae cum legibus feudibus regulanda sint, sed potius sunt bona allodialia, & indifferentia, quamquam feudalem nuncupationem, vel imaginem retinentia, ideoque in his, concursus inter successores sanguinis utriusque sexus, pertinet potius ad materiam fideicommissariam, sive pendet ad locorum statuta, & legibus; & per consequens materia est incapax regulae certae, & generalis, erroneumque est in ea cum generalitatibus procedere, sive adhibere Doctores loquentes de una Regione, in feudis alterius Regionis, in qua cum diversis legibus vivatur, juxta frequentem modernorum ineptiam.

MASSANEN. CASTRORUM PRO PRINCIPE NICOLAO LUDOVISIO, CUM ANNIBALE APPIANO.

Consilium pro veritate in congressu.

Clerici, & personae Ecclesiasticae, an & quando sint capaces successione feudorum, & quando feudum dicatur Ecclesiasticum, vel laicale, & an subfeudum possit esse diversae naturae ab ipso feudo.

S U M M A R I U M.

- 1 Falsi series.
2 De historia super inventione juris civilis remissio.
3 Castra prius spectantia ad unum territorium efficiuntur de territorio alterius, qui ea acquisivit, suaque ditione incorporavit.
4 Refertur votum, seu decessio cause.
5 De regula feudali, quod Clerici sunt eorum successione incapaces.
6 Refertur plures limitationes, de quibus singulis infra.
7 An iura feudalia inhabilitant Clericos procedant in foro Ecclesiastico, & in feudis Ecclesiasticis.
8 An Cardinales succedant in feudis.
9 De ratione, ob quam Clerici non succedunt in feudo.
10 Non dedecet Clericos militare pro Papa, & Ecclesia.
11 De eadem ratione, de qua n. 9. circa Clericorum exclusionem, & an iura feudalia ob praedictum libereatis Ecclesiasticae sint abolita.
12 Feuda non fuerunt cognitum de iure communi.
13 Excluditur qualitas feudum Ecclesiasticum.
14 Subinfeudatus dicitur Passalus subinfeudantis, non autem Domini mediarum.
15 Subfeuda feudis Ecclesiasticis possunt esse laicalia, & diverso iure censei, unde subfeuda Regni Neapolitani, quod est feudum Ecclesiae, sunt de dominio Regis.
16 Regula textus in leg. si quis conditionis de non refricanda auctori questione domini, procedit etiam in feudis.
17 An subfeudum possit esse diversae naturae a feudo.
18 Quando dicatur feudum francum, in quo etiam Clerici, seu alii incapaces succedant.
19 Et quid, ubi cum solo fructu realia.
20 Servitium reale non tollit obligationem servitii personalem contentam in iuramento fidelitatis.
21 Antolerantia incapacis in possessione feudi reddit eum incapax.

D I S C. L I V.

Inter illas Italiae Civitates, quae post scissum in partibus Occidentalibus Romanum Imperium, variaque Barbarum incursionem, in maxima rerum revolutione libertatem sibi comparant, praecipua fuit Pisana, quae felicibus auspiciis quatuor, & ultra saeculorum spatium, potentissimae Republicae signam gessit, praesertim in maritimis, & a cuius Classe recognoscimus utrum juris civilis iuxta legalem historiam, de qua in Neapolitana redidit sub tit. de servitio, & obiter quandoque in aliis hoc eod. tit. praesertim in Clomacena, Vallium, & in Montisplausi praetionis. Inter alia vero Oppida, & loca per ipsam possessa erant,

Plumbinum, Popolonia, Insulae Ilyae, Planofia, & Montis Christi, aliaque Oppida, & Castra Plumbini Statum nunc constituta, donec circa ann. 1240. ab ejus Civibus Andrea, & Petro de Gambacurta in servitium redacta, ab ipsi per ea media, quae habentur apud Historicos, ac etiam ex nostris apud Theodor. alleg. 51. circa ann. 1293. transivit in dominium Jacobi Appiani primi nuncupati, cujus filius, & immediatus successor Gherardus, quoniam cupidus, vendit ipsa Civitate Pisarum Ducem Mediolani, Statum Plumbini sibi reservavit, per duo saecula, & ultra in ejus descendentes transmissum.

Cum autem usque ab ann. 1264. Episcopus Massanus duo ditura Castra, Vallis, & Montionis nuncupata, cum eorum tenuis, silvis, pasuis, aliisque pertinentiis, titulo permutationis cum quodam palatio, aliique bonis, & summa pecuniaria, transfuisset in quosdam de Tudinis Cives Massanenses, sub annua praestatione unius marchae auri, Gherardus praedictus circa annum 1400. titulo emptionis ad praetorium acquirentium successores dicta Castra acquisivit, dictoque Statui incorporavit, eoque defuncto, ac successivè per plures manus d. Statu obvento in Jacobum Appianum tertium, hic duos habens filios, in testamento, Jacobo primogenito reliquit totum Statum praedictum, Bellario autem secundogenito jure legati reliquit praefata Castra, exceptis Jurisdictione, & Imperio, quae noluit a Statu dividi, sed ad primogenitum, & successores spectare.

Et quoniam sub dicto Jacobo quarto circa annum 1474. sub Pontificatus Sixti IV. intra dictorum Castrorum fines detecta fuit vena aluminis, hinc orta est controversia cum Camera Apostolica praetendente impedire hujusmodi venae excavationem, vel ratione juris privati fieri competentis ob similem venam Tuscanam, utpote destinatam pro Sancta Cruciatam in defensionem fidei, vel ob dominium ipsius Camerae ex iuribus Ecclesiae Massanae, unde sub Innoc. VII. successore de anno 1490. deventum est ad concordiam, per quam commissa causa in Rota super puncto, ad dicta vena spectaret ad Ecclesiam Massanam, vel ad Appianos, conventum est, ut per ann. 12. per istos abstinere ab excavatione sub recompensatione annuae praestationis ducatoris mille per Camerae eis solvendum, & de qua concordia habetur apud Dec. conf. 407. num. 7. Menoch. confil. 147. n. 18. Decian. conf. 40. n. 42. lib. 4. Cuius de ann. 1501. sub Alexand. VI. Dux Valentinus Borgia d. Statum, cum Appianorum expulsiōne occupasset, fertur illum consequendo causam in Rota, a unius anni spatio res conformes obtinuisse, declarantes nullum jus dicere Ecclesiae, & Camerae Apostolicae in dictis Castris, & vena respectivè competere, quarum sententiarum simplex informis copia circumferretur, & paulo post dictus Jacobus IV. amicum, ac Vassallorum ope, Valentino expulso, Statum recuperando, ut in futurum ab hujusmodi casibus magis tutus redderetur, se dedit protectioni Maximiliani tunc Romanorum Regis, a quo de anno 1502. recognoscendo dictum Statum in feudum pro se, suisque liberis, & descendens mascululis, investituram accepit, in meliorem formam redactam de ann. 1509. quando cum prudenti consilio iudicatum fuit eam accipere ab eodem Maximiliano iam Imperatore, in quorum utraque, inter eisdem Status Oppida, & loca, enumerantur ista Castra Vallis, & Montionis, super quibus de ann. 1540. Cardinalis Alexander Parnesius Ecclesiae Massanae administrator litem introduxit in Camera contra Ferdinandum Appianum dicti Bellarii secundogeniti filium, qui tunc a dicto statu bannitus, dictisque Castris privatus, in Statu Ecclesiastico morabatur.

Aliaque jurisdictionalis controversia, forsitan occasione banni, & confiscationis d. Ferdinandi, super ejusdem Castris circa ea tempora orta est inter Plumbini dominum, & Magnum Ducem Etruriae, praetendente Castra praedicta esse de territorio, & pertinentis Civitatis Massanensis, unde ad favorem Domini Plumbini praesertim multi infignes Italiae, C. probantes Castra praedicta incorporata esse Statui Plumbini, ac de ejus territorio, & pertinentiis in omnibus effusa est, ut praesertim probant Cephal. confil. 458. & Fern. Decian. d. conf. 407. lib. 4. & omnium plenius Menoch. d. conf. 147. probantes per hujusmodi acquisitionem, & incorporationem, ea facta esse de hac ditione novè acquirentis, & ita, vel per sententiam arbitramentalem, vel per concordiam determinatum fuit, cum sub sequuto pacifico effectu.

De anno vero 1561. Stortia Appianus dicti Ferdinandi filius, ac respectivè praefati Bellarii legatarii nepos, cupiens d. Ca-

d. Castra reddificare, ac Vassallos introducere, licentiam desuper obtinuit a Jacobo VI. tunc Status Domino, sub illa tamen lege, ut ea pro se, suisque posteris mascululis legitime descendens, reciperet in feudum sub juramento fidelitatis juxta formam Imperialis investiturae, & sub obligatione praestandi singulis annis vitulum unum in die S. Augustini, quodque in causis appellationis, & gravaminum, ad ipsum Dominum, ejusque Officiales recurrerendum esset, expedita desuper formali investitura, approbata de eodem anno per Imperatorem Ferdinandum primum.

Defecta demum linea masculina dicti Jacobi IV. vel juxta unam opinionem in ipso Jacobo VI. vel juxta alteram in Casimo, seu Jacobo VII. pupillo filio Alexandri, de quo sub Judice lis est, an legitimus, vel illegitimus d. Jacobi VI. filius fuerit, devolutioe propterea Statu ad Imperatorem, hic de illo insensavit Philippum III. seu IV. Hispaniarum Regem pro se, suisque in Regnis, descendens, & successores utriusque sexus, sub ea lege, ut subinfeudate teneret personam ab ipso Imperatore nominandam. Quare Bellarius, Horatius, & Annibal de Appianis d. Stortie filii ex equitate postea per Gloss. & Bar. in l. ff. de aqua quodritidiana, & alios, tamquam proximiores agnati ultimi feudatarii defuncti (resecta in aulico Consilio eorum praetentatione super successione in Statu deducta ex testamento Gherardi) obtinuerunt nominationem ab Imperatore, & successivè subinfeudationem a Rege, vel conditione solvendi intra certum terminum Camerae Imperiali florenti 800. m. in qua investitura per eos obtenta, & acceptata, ad formam primae investiturae obtenta per Jacobum IV. ejusque renovationem, inter Oppida, & loca, enumerantur etiam dicta Castra Vallis & Montionis. Cumque ob dictam solutionem termino non factam, cum decreto Imperiali dicta subinfeudatio declarata esset resoluta, cum praeterea Appianorum caducitate ab omni jure, hinc proinde idem Imperator in hujusmodi subfeudo nominavit, ex titulo oneroso solutionis duodecies centenorum millium florentinum ejus Camerae Imperiali factae, Nicolaum Ludovisium Venetii Principem, Gregorij XV. nepotem, quem de ann. 1634. a dicto Rege Philippo IV. subinfeudatum, Bellarius dictorum fratrum primogenitus, tamquam dictorum Castrorum possessor, & subfeudatarius in dominum recognovit, fidelitatis juramento praestito, dictaque superioritate in gradu appellationis, & recursum continentem.

Defectaque demum absque prole prius dicto Bellario, postmodum de anno 1652. Horatio secularibus, superstiti Annibale Clerico in Sacris, hinc Officiales Principis, credentes factum esse casum devolutionis, possessionem acceperunt, tam Castrorum, eorumque membrorum, & pertinentiarum, quam etiam aliorum bonorum, quae per dictos fratres intra Plumbini Statum possidebantur, unde propterea dicto Annibale recurrente ad ipsum Principem tunc in Urbe commorantem, hic veritatis, & justitiae sincerissimus amator, consilium pro veritate in congressu, praevia discussione Jurium ex parte dicti Annibalis exhibitorum petiit ab insubiguibus J. C. Andofilla, & Roncino, ac etiam a me, atque in congressu desuper habito, praefatis doctissimis Viris placuit, in omnibus sequi votum, quod ego tamquam junior degeram.

Distinguendo scilicet bona, de quibus agebatur, in tres species, primam fidelicem in ipsa Castra inhabitata cum jurisdictione, Imperio, & jure dominicali, alteram in bona merè privata, & allodialia extra dictorum Castrorum ambitum, & fines, & tertia in tenutas, silvas, pasca, & alia praedia existentia intra fines dict. Castrorum, totumque eorum ambitum.

Quoad primam speciem, dixi probabilius pro devolutione in exclusionem dicti Annibalis tamquam Clerici in Sacris, & incapacis respondendum videri, & e converso, indubitanter pro ipso Annibale seorsum esse in dicta secunda specie honorum allodialium. Quia vero super tertia adhiberam indeterminatam, utpote in puncto probabiliter dubio, idcirco attempta gravitate dicti Annibalis, habitaque consideratione, quod esset ultimus de hoc cippo Appianorum, qui duorum saeculorum spatio, & ultra Statum possederat, sui in saecula, non ex praedentiali, & aequitativo temperamento, non dimitteretur quidem ipsorum bonorum possessio, sed sub illis titulis per ministros singulis annis dicto Annibali subministraretur aequalens ejus, quod ex hujusmodi tenuis, & silvis perciperetur, atque ita dicto Annibale acquirentem praedictum fuit, donec vivit.

In hujusmodi ergo extrajudiciali examine, in quo praesupposita dicta facti serie, atque non controversa per Annibalem dicta subinfeudatione facta Stortie ejus patri, quaestio restringebatur ad punctum Clericatus in Sacris, & quod scilicet illud in hac feudali successione inhabiletaret, pro ipso scribentes amittebant regulam text. in cap. 1. an minus, & in cap. 1. de feudo feminino, & cap. 1. §. qui Clericus, si de feudo fuerit controversia, super Clericorum incapacitate, & quam regulam theoricè, & praeticè receptissimam esse in feudis Principum saecularium, ceteris collectis, late firmant Rosental. c. 8. concl. 29. Urfin. de success. feudorum, p. 1. 99. art. 1. Larata theat. feud. p. 9. dilucidat. 80. Rota decis. 490. num. 1. p. 5. rec. Menoch. confil. 202. num. 116. & seq. & confil. 181. num. 71. & seq. licet prius ex num. 63. contrarium diceret pro ratione dubitandi, inde scribentes in contrarium forte tumultuaverant.

Verum plures deducebant limitationes, ex quibus dicebant regulam praedictam non obitare, primò, quia tractaretur de feudo Ecclesiastico, a cuius successione Clerici non excluduntur, secundò, quia investitura concedit hoc feudum uti francum, in quo pariter Clerici succedunt; tertio, quia nullum praescribitur servitium personae, sed tantum praestatio, realis unius vituli, aequè bene à Clerico praestandi, quarto, quia videbatur habitatus per Imperatorem etiam in successione feudi principalis, dum investitura ut supra dictis fratribus concessa enunciatur Protonotarius Apostolicus, quinto demum, quod saltem de equitate, cessante aliorum agnatorum concursu, admitti debebat, super quibus singulis, exterorum potius stylo, quam Curiali, copiosissimè datae fuerunt informationes.

Singulas igitur limitationes praedictas examinando, quatenus pertinet ad primam, licet Felin. in cap. in praesentia numer. 11. in fine de probat. explicitè firmet, jura feudalia super Clericorum incapacitate superius allegata, locum quoque habere in feudis Ecclesiasticis, ex ea ratione, quod istae consuetudines tamquam jam receptae in leges, obligant etiam in conscientia, & in foro Ecclesiastico servanda sunt, & Felini sententia adhaerere videtur Rosental. dist. cap. 7. concl. 29. num. 16. & in gloss. lit. S.

Nihilominus admittebam contrariam opinionem esse magis communem, & veram, quam ex professione subsistit Jal. confil. 117. lib. 4. & sequuntur Roland. confil. 76. n. 13. lib. 2. Cravet. confil. 445. num. 8. Surd. confil. 140. num. 31. Menoch. confil. 304. num. 66. Cacheran. dec. 27. num. 17. Carol. de Graf. effect. Clerical. 4. numer. 301. Belet. disquis. Cleric. par. 1. tit. de bonis Clericorum, §. 19. num. 13. Argel. de legitimo contradi. quest. 19. art. 6. numer. 120. ubi allegatur decis. in Brixient. feudi coram Pamphilio, plenè Fagnan. post hac examinata editus ibi cap. qua in Ecclesiarum, n. 104. de Constit. ubi etiam de capacitate Religiosi effecti Episcopi in casu, de quo in Romana, seu Perulina hoc tit. Et quamvis Jal. qui in ista conclusione antesignanus videtur, loquatur de Cardinali, in quo plurimum sententia est ob excellentiam dignitatis cessare dictorum iurium dispositionem, eumque felix Clericorum nomine non venire, quamvis ageretur de feudis laicalibus, ex collectis per Ann. singul. 70. ibique adden. in postremis additionibus, cujus tamen contrarium ceteri volunt collecti per dictos addentes, Franck. dec. 20. Urfin. de success. feud. p. 1. 99. art. 1. n. 21. Menoch. confil. 181. ex n. 71. & confil. 202. ex n. 116. ubi de Cardinali quem regulat jura aliorum Clericorum; atamque superius allegati, & ceteri, ex eadem auctoritate generaliter id firmant in quocumque Clerico, quoties agitur de feudo Ecclesiastico.

Ex ea clara ratione, quod idem per jura feudalia inhabilitantur Clerici, quia feudum est militia, cum qui fidelitatis juramento feudatarius erga Dominum se addicit, ideoque Clericus miles Christi non potest esse miles saeculi, ut bene gloss. masi stralis in d. cap. 1. §. qui Clericus, si de feudo defuncti, cum qua communiter pertransiunt feudalia collecti per Rosental. & Urfin. ubi sup. & ex qua ratione ego dicebam in una Mediolanen. pensionis pro Cardinali Sabello, de qua in sua materia sub tit. de pensio. cum, qui effectus erat feudatarius Principis laici cum titulo Marchionatus, amisisse pensionem, quod etiam habetur apud Tondat. de pens. c. 77. n. 7.

Ac etiam, quia Princeps saecularis, quia feuda concedit, id facere censetur, ut sibi constituat milites sibi subiectos, atque a se punibiles, non autem eos, quos cognoscere, & punire non potest, ut ponderat Jal. d. confil. 117. num. 5. in fin. vers. nam Princeps saecularis, Fagnan. loc. cit. num. 103. quae rationes cessant in feudo Ecclesiastico, cujus fit domus Papa, vel alter Praelatus, quia non dedecet, Clericum aliis subdi-

subd. um ei pretere juramentum fidelitatis, ac etiam, ubi exigit necessitas, servitium militare, ut tam antique historie, quam moderna praxis docent, unde propterea, post hac pariter examinata, dicebam in Beneventana personis, de qua sub d. 11. de pen. ob militiam Papae, ac Sedis Apostolicae non amitti pensionem, adhibendos terminos feudales, & cum dicta distinctione deducta ex prefato magistrali conf. Jal. 117. & cum ratiocinis, quia non habebatur specialis auctoritas ista diffiniens, ut ibi latius.

Non tamen placere videtur in proposito numero motivata per aliquos Scribentes, quod scilicet iura feudalia, quamvis ex immemorabili consuetudine iuxta hodie receptam, & indubitam opinionem, sint authentica, & pro legibus habenda sint, non tamen in hac parte recipi debeant, tamquam Ecclesiastica libertati praedicta, & ex eadem ratione, ob quam abolita sunt leges civiles de Clericis, & Ecclesiis disponentes, quoniam d. Clericorum inhabilitatio non provenit ex d. iuris, eorumque auctoritate, auferendo Clericis, & Ecclesiis id, quod aliis eis competeret, sed potius provenit ex ratione incompatibilitatis, unius status cum altero, ac verisimilis voluntatis concedentis, quem nisi expresse dicat, suumque praedictum ita remittat, nullatenus verisimile est, quod sibi constituerit voluerit militem illum, quem cognoscere non potest. Neque exinde aliquid Clericorum praedictum, vel injuria resultare dicitur, quoniam qui potest nullatenus concedere, ac omnibus denegare, nemini facit injuriam, si concedit solum generi personarum, denegat autem alteri, potissime ubi non constat, hujusmodi denegationem, seu exclusionem resultare ex irrationabili odio Clericis, & Status Ecclesiastici, sed ad aliud rationabile motum, quamvis non expresse, & in dubio presumendum, referri potest, juxta ea, quae frequenter habentur in materia fideicommissaria in proposito exclusionis Clericorum, Religiosorum & Monasteriorum, sive mulierum nuptiarum cum similibus.

Feuda enim cognita non fuerunt de jure communi, sed post scissum Romanorum Imperium a Longobardis, vel Germanis per quemdam usum, seu consuetudinem introducta fuerant, quae consuetudo ita qualificata inducitur. Quod agnovissent etiam Sac. Canones, qui ut Principes seculares aliterent ad feuda concedenda Clericis, & Ecclesiasticis, istorum subjectionem quoad concernentia ipsorum feudum eis tradiderunt, in cap. ex transmissa, & cap. seq. de foro competentis, atque ita docet inconcussa praxis totius etiam Orbis, praesertim verò illa Regni Neapolitani, ut in Venesren. in Venesina, & in aliis hoc eod. tit. quod est fortius, cum illud sit feudum Ecclesiae.

Admissa igitur limitatione, quod scilicet in puncto juris Clerici sint capaces feudi Ecclesiastici, negabam tamen ejus applicationem ad factum, ob omnino cessantem hujusmodi qualitatem, ex eo deductam, quod hujusmodi Castra originarie concessa fuissent per Ecclesiam Massanam, quoniam concessio juxta supradictam facti seriem de ann. 1264. facta per Episcopum Tordinis Civibus Massanis, nullam videbatur feudalem imaginem habere, sed fuisse per contractum privatum permutatis ex causa mercedis correctiva, maxime quia feudalitas in dubio non praesumitur, ut in Clomacen. in Lucana, & in aliis hoc tit. satis frequenter, potissime quia ab ann. 1400. in quo Gherardus Plumini dominus hujusmodi Castra titulo emptiois, tamquam mercedis alodialia quaesivit, fuisse Statu incorporavit, potuerunt immutare naturam, utpote à priori territorio dismembrata, & regulata tamquam pars, seu membrum hujus feudi laicalis, ut plene probant Menoch. d. conf. 147. Cephal. conf. 458. & seqq. & Decian. conf. 40. lib. 4. & comprobant etiam tot investiturae, & renovationes factae ab ann. 1502. usque in praesens.

Omnemque difficultatem in proposito penitus cessare dicebam ex eo, quod quidquid esset de hujusmodi Castrorum natura, & qualitate in controversita, quae haberetur inter ipsam Ecclesiam, ipsumque Status Plumini Dominum, nihilominus de hoc objicere non poterat d. Annibal veniens ex prefata investitura, quam Sfortia ejus pater jure subfeudi, & cum licentia, quam Sfortia ejus pater jure subfeudi habuerat à Feudatario, & assensu Imperatoris Domini directi subfeudatus dicitur Vassallus subfeudantis, qui est ejus

14 Dominus immediatus, non autem Domini directi, & mediat, ut bene, & punctualiter Narra conf. 600. nu. 22. & docet praxis ejusdem Regni Neapolitani, quoniam licet in ipso feudum in capite sit Ecclesiae, nihilominus ex subfeudo, quae per Regem Feudatarium conceduntur illis Baronibus, dicitur laicalia, cum Clericorum incapacitate, ex dedu-

15 his in d. Venesren. & Venesna. ac aliis. Uterum bene advertit Bald. in l. 1. inf. Cod. unde legit. quamvis Regnum Apuliae quoad suam universitatem sit feudum Ecclesiae, atamen illa subfeuda, quae per Regem aliis conceduntur, sunt de dominio ipsius Regis, ac diversae naturae, quod latius ex Bal. ubi supra, ac etiam ex Ilermia, & aliis bene reasumit Paris conf. 1. nu. 99. lib. 1. ubi de Duce Mediolani, quod licet Ducatus sit de dominio Imperatoris, atamen sit feudatum de dominio Ducis, refert Mantie. de Tacit. lib. 23. tit. 2. nu. 16. & 17.

Ad quod ponderabam regulam text. in l. si quis conducat. C. lac. de non reftitanda proprio auctori domini quaestione, quam regulam procedere in omni materia, praesertim verò in feudali, firmant in specie Jacobus de Belvisio in cap. 1. verisimiliter modis, quae sunt prima. causa Beneficij amittendis, Prexpol. lib. 8. qui domino, & ceteri collecti per Schrader. de feudis. par. 2. principali par. 9. sect. 9. numer. 25. & seqq. Rota decif. 222. num. 8. & seqq. par. 8. rec. decif. 57. num. 1. cum sequentibus. & decif. 89. numer. 15. par. 9. Adde. ad decif. 420. nu. 57. & 74. p. 4. rec. tom. 2. Unde cum Sfortia directi Annibalis pariter receperit hoc subfeudum, tam à Feudatario, quam ab Imperatore Domino directo, tamquam membrum dicti feudi laicalis Plumini, non poterat ista diversa qualitas allegari, refrenando quaestione domini proprio auctori, potissime quia investitura, quam idem Annibal cum fratribus ut supra recepit ab Imperatore de ipso feudo Plumini (eorum culpa non effectua) expresse conceduntur hujusmodi Castra, tamquam pars, & membrum hujus feudi.

Dicebatur, quod licet dicta investitura facta per Jacobum sextum Sfortiae importare videtur subfeudum concessum à laico, nihilominus id immutare non poterat ipsorum Castrorum naturam, & qualitatem, quia subfeudum non debet esse diversum ab ipso feudo, fed eodem jure censendum est. Verum & hoc nullius momenti videbatur, tum quia negabatur dictum assumptum, quod Castra per Dominum Plumini possiderentur jure feudi Ecclesiastici, ut supra; tum etiam quia dicta propositio procedit in ea omnimoda subfeudatione, quae, nihililo per subfeudantem retento, fiat alteri de toto feudo, cum tunc adinstar ementis per personam nominanda, subfeudans dicatur nudum organum, seu instrumentum, subfeudatus verò directè, & immediatè habere dicatur à primo infeudante, secus ubi aliquo per se retento subfeudat partem, quia tunc feudum retinet in subfeudante suam naturam, & non implicat, quod in subfeudo tamquam ex cadentia, seu contracta separato, dicitur imprimatur natura ex lege concessiois, juxta distinctionem, de qua supius hoc eod. tit. praesertim in Mantuana bonorum Episcopi, in Senogallien. & in Eugubina, ubi latius videtur potest.

Quo verò ad secundam, & tertiam limitationem deductam ex concessione feudi franchi, sive ob non conventum servitium personale, fed tantum reale, dicebam quod una vel altera, fortius verò utraque qualitate concurrente per veritatem, & de facto, assumptum esset verum, ac rectè procederet ea, quae de feudo franco habentur copiose collecta apud Cacheran. decif. 27. cum ceteris collectis per Menoch. conf. 181. num. 66. ubi etiam agit de servitio merè reali per Clericum aequè, ac laicum, abque aliqua differentia praestabili.

Verum ut fallacia pariter erat in applicatione ad factum, quoniam, ut insinuatum est, id rectè procedit, quando franchitia consistit in re, non autem in verbis, quia nempe feudum datum sit abque ullo onere servitii, nec explicito, nec implicito, sub juramento fidelitatis, quod nullum praestatur, ita ut concurrat omnimoda franchitia, & libertas, praeterea quam ab eo reali, quod est expresse, & sunt illa feuda frequentia in Lombardia, ut plurimum rusticata, sine jurisdictione, gladii potestate, & imperio, consistentia in aliquo praedio, vel petia terae, quae concessio solent sub onere solvendi Domino spatulam porci, vel pat Capponum, cum similibus, cum tunc dicantur feuda omnino impropraria, & corrupta, non cum feudali jure regardanda, sed potius cum jure communi adinstar bonorum indifferendum, & alodialium, quorum jure censentur, aliud de feudo non habentia, nisi nuncupationem, ut etiam in Regno Neapolitano sunt ea, quae dicuntur feuda plana, & de tabula simpliciter, ex iis, quae habentur supra in d. utraque Mantuana, ubi de hujusmodi distinctionibus.

Secus autem ubi adest juramentum fidelitatis continens implicitam obligationem servitii etiam personalis sub ejus formu-

formulam contentam in necessitatibus, & extraordinariis occurrentibus, solumque pro tempore currenti, & non calamitosa, in qua nulla subdit servitii necessitas, vel occasio, conveniatur de aliquo praestatio reali pro Domini subventionem, sive pro ejus recognitione, & meliori conservacione domini, ac vassallagii respectivè, ut e. g. est in d. Regno, in quo per Barones, & Feudatarios, ultra obligationem implicitè contentam sub juramento fidelitatis, singulis annis Regi praestatur certa summa pecuniaria, quae ibi adhaes nuncupatur, quoniam haec non excludit alias personales obligationes in juramento fidelitatis contentas, ut advertunt Cacheran. d. decif. 27. nu. 9. Roland. conf. 23. nu. 35. lib. 1. Aff. decif. 320. num. 9. Craff. de effect. Clericis. 4. num. 250. & ceteri, ac habentur de ipso Regno erga Sedem Apostolicam, cum pro eo solvantur singulis annis Census consistentes in certa summa pecuniaria, & uno equo, non inde tamen definit esse feudum, cum similibus, & sic ea, quae per DD. dicuntur de feudo franco, seu restricto ad certam recognitionem realem, intelligenda veniunt ut supra, quando de facto concurrat omnimoda franchitia, & libertas, ut bene ceteris allegatis advertit Menoch. d. conf. 181. num. 83. ubi scilicet reprobat Alciatum in eodem casu scribentem, non autem hinc franchitia resultet ex sola formula verborum, & clausularum, quae ex quodam formulario in omni penè investitura, ad quamdam honorificentiam, & majorem prerogativam, praesertim verò in feudis majoribus, & prima classis cum Regalibus, & jure Principatus adici solent, quoniam aliis omnia feuda ita essent corrupta, & in hoc veritari folè frequens aequivo cum illorum scribentium, qui non bene hanc feudalem materiam callentes, foli verborum, & clausularum formulae inhaerendo, istos terminos confundunt.

Applicando igitur ad rem, quamvis demandatum esset onus realis praestationis unius vituli singulis annis, in recognitionem superioritatis, & domini, atque in investitura, adinstar investiturae ipsius feudi principalis concessae per Imperatorem, adesset consuetæ clausulae de feudo franco, honorifico, &c. nihilominus continebatur explicitum juramentum fidelitatis ad formam investiturae Imperialis, & cum eadem restrictio ad solos liberos, & descendentes masculos, juxta regularem naturam feudi veri, & rectè, potissime quia non agebatur de concessione alicujus petii terae ad solam fruicionem sine Jurisdictione, & Imperio, juxta casum, de quo supra in d. utraque Mantuana cum similibus, de quibus frequentius agunt DD. Lombardie, vel adjacentium Regionum, in quibus in usu sunt hujusmodi feuda rustica, solam nuncupationem feudalem habentia, sed de duobus Castris, cum Vassallis, Jurisdictione, & Imperio, unde propterea mihi videbatur, quod veritatem in casu omnino plano.

Motivum tolerantiae deductum ex Jal. d. conf. 117. lib. 4. pariter cessabat ex facto, quoniam pro tempore quo vixerat alii fratres laici, & capaces, aliqua istius Clerici possessio, consistens magis in participatione fructuum, & emolumentorum, referenda veniebat, vel ad familiaritatem cum fratribus, vel ad participationem fructuum ratione vite militiae, seu alimentorum, dum in facto e converso constabat, quod juramentum fidelitatis dicto Principi, tamquam novo domino, praestitum fuerat à folo Benefario primogenito, abque dicti Clerici mixtura, & enunciatio Imperialis de dicto Annibale Pronotario Apostolico levitate continere videbatur, quoniam investitura praedicta erat de futuro, effectum scilicet sortitura, postquam sequuta esset solutio 800. m. Florenorum; cumque habitas requiratur de tempore, quo cum effectu obtineatur feudum ejusque possessio, bene stabant simul, tunc obtinere Pronotarium, qui haberi poterat etiam per Clericum in minoribus, sed dedine per dimissionem Clericatus officii capacem: tunc enim hujusmodi tolerantia implicat dispensationem impedimenti causae solet, quando concurrit in Principe certa scientia impedimenti, & admissio impediti in feudo, ut erat casus, de quo Jal. d. conf. 117. ubi de Cardinali Farnesio, quem indubitanter innotescerat Papae esse Clericum in sacris tolerato in possessione feudi per deccennium & ultra, unde propterea istud motivum omni profius fundamentum destituitur.

Prout & alterum aequitatis deficientibus ceteris agnatis capacibus, cum non exinde resultet, incapacem à Domino invito admittendum esse, & contrarium docet observantia, ut vidimus de Cardinali Pereto, seu de Monte alto, de quo habetur in d. Venesren. Et ad conclusionem admissiois aliàs inhabilis & inca-

pacis, quoties idem servitium praestari potest per substitutum, ex deductis per Jal. eod. conf. 117. & alios collectos per Menoch. d. conf. 181. nu. 67. (unde, ut dictum est, scribentes in contrarium totum desumpserant,) dicebam, adhuc procedi cum aequivo, quoniam illa verè procedit, ubi in feudatario concurrat naturalis habitas ad succedendum, solumque obstat accidentalitas inhabilitas ad servendum ratione infirmitatis, vel sexus, aut alterius impedimenti, secus autem ubi inhabilitas est naturalis percunctis substantiam successiois, juxta viorem, ac magis receptam opinionem feudistarum, de qua Rosental. c. 7. conc. 29. num. 4. Larata theatr. feudali. p. 9. dilucidat. 80. nu. 7. cum seqq. bene Ursu. de success. feudorum. p. 1. q. 9. art. 2. num. 11. apud quos ceteri, & haec est vera responso, non autem illa quam tradit Menoch. conf. 181. num. 84.

ANNOTAT. AD DISC. LIV.

Dem, quod dictum est in Annotatione praecedenti, in proposito capacitas foeminarum, in omnibus procedere videtur respectu capacitas Clericorum, quod scilicet erroneum sit procedere cum generalitatibus, sive adhibere auctoritates loquentes de feudi unius Regionis, in feudis diversae Regionis, cum tunc pendat à legibus, & slyis Principatum, ut occasione agendi de capacitate millium S. Jo. Hierosolymitani, & similibus advertitur supra, d. f. 16.

Distinctio autem, quae, ut patet ex deductis in discursu, adhiberi solet inter feuda franchia, sive inter habentia annexum servitium personale, vel reale, quod aequè bene à Clerico, sicut à Laico praestari potest, hodiè fabule speciem habere videtur, ob idem dilemma, de quo Annot. praecedenti, occasione capacitas foeminarum, quod scilicet aut agitur de feudo recto, & proprio, quod importet militiam, quae hodie non datur, nisi in Principe habente haec majorem Regaliam indicendi publicum bellum, cum illa obligacione servitii personalis, quae saltem in urgentibus, & extraordinariis indigentibus inest sub juramento fidelitatis, etiam ubi praestatur servitium ordinarium reale, & tunc (exceptis feudatariis Papae) clericatus est incompatibilis cum militia, ut advertitur in discursu, ac etiam sub tit. de Penf. d. f. 48. Aut est feudum improprium, cujus natura sunt frequentius feuda Ecclesiastica inferiorum, sive illorum Dominorum, qui non habent hoc jus Principatus, dictamque Regaliam indicendi bellum publicum, ut pluries supra advertitur, & tunc intrat capacitas clericorum, non ratione franchitiae, sed quia ea verba, spectato effectu, bona non sunt feudalia, fed potius alodialia indifferencia, quae retinent solum quamdam nuncupationem, & aliqua pacta feudis proportionata, tamquam per imaginem, seu reliquias antiquae feudalitatis; ideoque aequivo cum videtur in hoc procedere cum autoritatibus antiquorum, loquentium cum praesupposito illorum temporum, quando etiam Ecclesiae inferiores, & Civitates subditae, ac Barones, & Domicellii inferioris ordinis, imò etiam privati nobiles divites, ob factiones, quae tunc vigeabant, sibi comparabant milites, ac Vassallos fideles, atque ad hunc effectum, loco stipendii, illis dabant in feudum praedia, & possessiones, & c. ac propterea magna est differentia inter tempora antiqua, & hodierna.

E A D E M

PRO EODEM PRINCEPE LUDOVISIO CUM MARCHIONE DE MONTEAUTO.

Causa disputatus in Signatura Graeciae, & resolutus pro Marchione.

De competentia fori causae feudalis, coram quo scilicet cognoscenda & tractanda sit controversia inter Dominum & feudatarium super feudi devolutione.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
2 Causa feudi terminanda per pares Curiae.
3 Secus de consuetudine, per quam cognoscitur à Domino.
4 Ad regulam text. in l. ubi ceptum, ff. de iudic.
5 De traditionibus Doctorum super statu bonorum.
6 Subfeuda possunt esse diversae naturae, & sub diversis foro ab ipso feudo.

7 Subfenda dicuntur de directo domino subinfundantis, qui est Dominus subinfundatorum, ut de Rege Apulie cum subinfundantibus.

8 Quando Dominus directus sit Judex in causa subfendi.

D I S C. LV.

Post terminatum cum prudentiali equitativo temperamento controversiam, de qua dis. precedenti, Annibal ultimus Appianorum Clericus ut supra, per donationem inter vivos effectum sortitum post mortem, transiit in Marchionem de Monteauto, ejus ex forore nepotem, seu amicum, omnia jura sibi competentia in dictis Castris, aliisque bonis in hoc Statu Plumbini existentibus, idemque confirmavit per testamentum, unde sequuta ad breve tempus ejusdem Annibalis morte, Marchio prædictus, postquam impeditus fuit per Officiales & ministros Principis in actuali possessione, quam instrumentalem de facto adipisci curaverat, adiens Romanam Curiam, curavit se admitti ad causam utque ab anno 1540. ut in precedenti, introducant in Camera per Cardinalem Alexandrum Farnesium Ecclesie Massanae Administratorem. Cùmque Princeps Ludovisus in eadem Curia apprehensus, fori declinatoriam opposuisset, pretendendo remitti causam, vel ad Imperatorem Dominum directum, vel ad Regem Catholicum subinfundantem, idcirco assumpta desuper disputatione in Signatura Gratie, ad quam pertinet decidere hujusmodi controversias, in causis ventribus in Camera, quæ non subjacet Signaturæ Justitiæ, prodiit resolutio dicto Marchioni favorabilis, pro remissione causæ ad eandem Cameram, quæ tamen, reflectendo etiam ad solam veritatem, non placuit.

In hac autem disputatione, omnes hinc inde scribentes adducebant eandem theoreticam, in specialibus terminis devolutionis istius feudi Plumbini, deducam per Tappiam decis. ultima. Supremi Senatus Italici, ut scilicet quamvis de jure feudorum in cap. 1. de controversiis feudi apud pares terminanda, cap. 1. §. Inter Dominum de alienatione feudi patrum, & cap. Imperiale, §. Præterea sinter duos, de prohibita feudi alienatione per Feder. hujusmodi controversiæ terminandæ sint per pares Curie, quibus causæ remittenda est, solumque disputatio intret, an id procedat in Imperatore, & Regibus aliisque supremis Principibus, ex deductis per Afflic. in cap. 1. nu. 7. de controversia inter Dominum & Vasallum de Investitura feudali, Rolentat. cap. 12. conclus. 3. cum aliis per Tappiam ubi supra, nu. 1. cum sequ. nihilominus de communi consuetudine, de qua Tappia ubi supra, nu. 8. receptum est, hujusmodi parium iudicium recessisse ab Aula, atque hujusmodi causas cognoscendas esse in Curia ipsius Domini, quoties præsertim sit esse. Supremus Princeps habens jura Imperii.

Controversia verò erat in applicatione ad factum, scribentes enim pro actore, quibus adhæsit Signatura, dicebant quod cum hujusmodi Castra essent de directo dominio Ecclesie Massanae, à qua per Sixtum IV. & Pium V. dismembrata fuerunt, & applicata Ecclesie Romanæ, seu Cameræ Apostolicæ, idcirco ad istam spectare debebat cognitio, addendo etiam regulam generalem textus in l. ubi capium, ff. de iudiciis, quod dum utque à dicto anno 1540. causa introducta erat in Camera ut supra, ibi terminari debebat, ponderando quoque retroactam observantiam prædecessorum Principum circa commissionem causæ in Rota sub Innocentio octavo, super controversia venæ aluminum, juxta seriem, de qua dis. precedenti.

Scribens autem pro Principe, cum sensu etiam veritatis, dicebam præmissa non subsistere, quoniam supponebatur pro certo id quod erat in questione, super dominio scilicet directo dictæ Ecclesie, quod ex hac parte non admittebatur, tum quia ipsem contractus permutationis initus de anno 1264. cum Tudinis, nullam præfererebat feudalem qualitatem, ac domini directi reservationem, ex deductis per Menoch. conf. 147. & alios, de quibus in precedenti, tum etiam quia ab anno 1400. & sic spatio annorum 250. & ultra, à jure pleni & liberi domini possessa fuerunt per Principes, & Dominos Plumbini, utpotè illi Stantui incorporata, potissimè verò ab anno 1502. effecta de dominio directo Imperatoris, & postea sub qualitate feudali, in qua spatio annorum 150. & ultra continuaverunt, nil refragante dicta regula textus in l. ubi capium, militante contra colligantem, vel habentem causam ab eo, non autem contra dictum Principem jus metientem ab Imperatore omnino independentem ab Appianis antiquis dominis; & claritè quia dicta causa introducta erat in Camera cum illegitimo de-

seniore, tunc nullum jus habente in dictis Castris ob eorum confiscationem, ratione hanc, ut in precedenti.

Er quoad antiquam observantiam commissionis causæ in Rota sub Innocentio VIII. ultra jam dictam responsionem, quod reus, & possessor possideret independenter & ex diverso jure, potissimè ob immutatum rerum statum, & cum de tempore dictæ commissionis, Appiani possiderent istum Statum tamquam liberum & allodialem, deinde verò à d. anno 1502. recognoverint in feudum ab Imperatore, urgebat alia inevitabilis responsio, quod de dicta commissione non constabat per scripturas authenticas, sed solum ex traditionibus Menoch. d. conf. 147. Caphal. conf. 458. & sequ. & Deciani conf. 40. lib. 4. scribentium in controversia jurisdictionis, seu territorii cum Magno Duce Etruriæ, unde, vel intrabat regula, quod in iis, quæ facti sunt, non deferretur Doctoribus; vel si deferendum erat in hoc, deferendum quoque erat alteri traditioni super tribus conformibus Rotalibus obtentis per Duceum Valentinum pro non jure Ecclesie Massanae, ac hujusmodi Castrorum libertate, unde propterea intrabat dilemma inevitabile.

Ceterum his omnibus etiam circumscriptis, dicebam procedi cum aequivoce claro, quoniam præmissa, quæ in contrarium deducebantur ex parte actoris, percutiebant controversiam inter ipsam Ecclesiam Massanam præsentem dominam directam, seu Cameram Apostolicam ex ejusdem Ecclesie jure venientem ex una, & ipsam Principem ex altera, super quo adhuc dubitari posset, stante contraria observantia ut supra, super quo etiam relinquatur integer locus veritati, sed quoad ipsam actorem venientem ex Juribus Annibalis, vel Stortie Appiani ejus patris, subinfundati ab ipso Principe Plumbini, & cum eo, vel successore contentende de expiratione dictæ subinfundationis, seu veritè de ejus interpretatione, an scilicet comprehenderet, vel ne tenuras, silvas & alia jura quectionem, de qua dis. sequenti, id pertinebat (retenta consuetudine, de qua supra,) ad ipsam subinfundantem, habentem jura Imperii, ejusque officiales, vel ad summum ad Imperatorem, à quo dicta subinfundatio confirmata fuerat.

Ut enim infirmatum habetur in precedenti, stant benè simul, ipsum feudum principale esse de dominio Ecclesie, ac unam habere naturam, subfeuda verò concessa per ipsum subfeudatariis aliis subvassallis, esse laicalia, & habere naturam diversam, atque de ipsorum devolutione spectare cognitionem ad ipsam subinfundantem, tamquam subinfundatum dominum, cui ex regula text. in l. si quis condictionis, C. locati, tamquam proprio auctori, domini questionem reticere non potest, juxta traditionem Bald. in l. prima in fine, C. unde cognati, quod licet Rex Apulie recognoscat Ecclesiam Romanam, seu Pontificem in Dominum, quoad ipsam Regni univerfitatem; attamen particularia feuda, seu subfeuda, quæ ipse Rex suis subditis concessit, dicuntur de ipsius Regni dominio, & ad ipsum pertinet de eorum devolutione, aliisque controversiis cognoscere, quod post Ierniam, & alios allegatos, bene reallum Paris. conf. 1. n. 99. lib. 1. ubi agit de Duce Mediolani, refert Mantica de ratiis, lib. 23. tit. 2. nu. 16. & 17. & ita comprobatur observantia dicti Regni, quoniam licet sit feudum Ecclesie Romanæ, attamen Papa non se intromittit in causis subfeudorum concessorum ab ipso feudatario ejus vassallis & subfeudatariis, qui dicuntur feudatarii, & vassalli eorum Domini immediati, non autem Domini mediatii, firma remanente competentia ipsius Papæ Domini directi, ejusque Tribunalium, ubi questio est de ipso feudo principali, juxta casum, de quo, respectu Regni Neapolitani, Apont. decis. 1. live ubi feudum est devolutum, unde non remaneat proprius & immediatus Dominus, cum quo subfeudi questio tractari possit, juxta casum, de quo in Sevogallien. Castrorum, in Eugubina, & in aliis hoc eod. tit. Ideoque quidquid sit de jure dictæ Ecclesie Massanae, seu Cameræ Apostolicæ in ejus locum successit, relinquendo in hoc, ut dictum est, integrum locum veritati hinc inde, adhuc dicta jura non videbantur obstrare ad effectum, de quo in presentem controversiam.

ANNOT. AD DISC. LV.

Super materia istius discursus, desuit occasio alterius disputationis, quoniam, quidquid apud antiquiores dubitatum fuerit, hodie ubique locorum, in quibus habeatur usus illorum feudorum, quæ vera, & propria dicuntur, juxta ponderationes in duabus Annot. præc. receptum est, ut cognitio pertineat ad ipsum Dominum, quem hodie in feudis veris supponimus Principem supremum, cum alia feuda sint potius impropria, & abusiva, ut supra, idco.

ideoque deferendum non est antiquis loquentibus, etiam de feudis, quæ concedebantur à personis subditis, & ab inferioribus.

E A D E M.

Casus disputatus in Camera, & decessus ut infra.

Recognoscens ab alio in feudum locum, seu Castrum proprium, an recognoscere etiam videatur totum territorium, omniaque bona alias libera, & allodialia intra ejusdem Castris fines per ipsum recognoscens possessa, itaut in casu devolutionis, omnia tamquam feudalia devolvantur, vel potius devolvatur solum Castrum; reliquis in patrimonio allodiali remanentibus.

Pendente lite, seu dubio inter Dominum, cui feudum est devolutum, & hæredem feudatarii defuncti super qualitate bonorum, an essent feudalia, seu feudo annexa, vel ne, quis interim in possessorio retinende, vel adipiscende obtinere debeat; & de propositione quod Ficus non litigat manibus vacuis, quomodo, & quando procedat, & de cumulatione possessorii cum petitorio.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 Resolutio in causa.
- 3 Ubi dubium est, an bona sint feudalia, vel allodialia, in possessorio obtinet hæres feudatarii contra Dominum.
- 4 Et de similibus in emphyteuse, vel fidei commissio.
- 5 Ficus in casu devolutionis feudi caput possessionem, & non litigat manibus vacuis.
- 6 Cumulatione possessorii cum petitorio quando locus.
- 7 Potest quis rem propriam liberam, & allodialem ab alio recognoscere in feudum, & sit feudalis.
- 8 Ubi quis ab alio recognoscit in feudum proprium Castrum, quid recognovisse censetur, an totum territorium.
- 9 Appellatione Castris, & sub ejus vocabulo quid veniat.
- 10 Devolutionibus, ob quas ex recognitione Castris non inferatur ad territorium.
- 11 Sub nomine territorii quid veniat.
- 12 De questione, quando bona, & prædia existentia in feudo sunt illi annexa, & de eis pertinentia.
- 13 De distinctione, cum qua dicta questio decidenda est.
- 14 De usu loquendi, & observantia, in sub nomine Castrorum venerint territorium, & bona.
- 15 Qualitas bonorum satis attendenda pro feudalitate.
- 16 Item inverisimilis voluntas.
- 17 In antiquis, & consuetudinibus attendenda regula, ut singula, quæ non profunt &c.
- 18 De observantia, ob quam alie bona veniunt sub devolutione feudi.
- 19 De regula, quod separatur per feudatarium in feudo sunt allodialia.
- 20 Jurisdictio est quod separatur à feudo, & potest quis habere feudum suo titulo, & Jurisdictionem altero.

D I S C. LVI.

Reiecta ut in precedenti, fori declinatoria, remissaque causa ad Cameram, actor puenso petitorio obtinuit subfieri dubium in possessorio retinende, an, & in quibus bonis suis competere manutentio. Cùmque Princeps inhibitor esset ab Imperatore, ne alibi, quam in foro suo super causis feudum concernentibus responderet, idcirco ne causa omnino indefensa remaneret, ad illam se admitti curavit Isabella Appiana Brachiani Ducis hæres in allodialibus Cossini, seu Jacobo Septimi ultimi Feudatarii, ob aliquo interesse, quod ad effectum admissionis ad causam sufficere quate, quodque illud adit apparet, licet non existentem, unde assumpta disputatione, nulla habita fuit difficultas super non competentia intentati remedii in ipsis Castris, eorumque jurisdictione, & Imperio, dum attenta investitura de illis facta per Jacobum VI. Stortie actoris mediator auctori, indubitatum erat, ipsi actori nullum penitus jus competere, cum illa restricta esset ad solam lineam masculinam, per mortem Annibalis jam extinctam; & quatenus idem actor dictam investituram controversisset, adhuc

idem resultabat effectus, dum legatum Jacobi III. à quo ipsius auctores totum jus desumebant, expressè negat jurisdictionem, cum relicto statu consolidatum. E converso autem in his bonis, quæ indubitata sunt allodialia, quorum pleraque intra Statum, extra tamen hujusmodi Castrorum fines aderant, ex hac parte nil prætendebatur, cum nullum jus competere, ex hac parte nil prætendebatur, proinde controversiæ punctus residebat in qualitate bonorum fructiferorum, silvarum scilicet, tenurarum, & pascuorum, intra istorum Castrorum fines existentium, an essent feudalia, & cum Castris devoluta, vel potius allodialia, & ad dicti Annibalis allodialem hereditatem perentia, super quo puncto hinc inde satis certatum fuit in disputatione habita sub die 3. Decembris 1661. coram Castrino, in qua prodiit resolutio utriusque parti grata, manutentionem scilicet, vel in vim possessionis instrumentalis ab ipso actore adeptæ, vel in vim clausulæ constituti contentæ in instrumento donationis, actori competere in bonis allodialibus tantum, reservato, ut videtur, quænam essent allodialia, & quæ non.

Siluit causa plurium annorum spatio, illaque reasumpta de anno 1668. per actoris interim defuncti filium, & hæredem coram Aquino subrogato, datoque dubio ex ventre restrictivæ resultantæ, an, & quæ bona essent allodialia, in quibus decreta manutentio exequenda esset, cum occasione dictæ primæ disputationis, ac etiam prius, examinando hunc punctum pro veritate, dicto Annibale adhuc vivente, ut in precedenti, ego agnovissem, eundem punctum esse potius facti quam juris, atque hujus partis fundamentum super feudalitate, pendere ex facti circumstantiis, de quibus infra, tamquam inducentibus limitationem regule, quæ alias actori, & pro allodialitate assistit; idcirco congruum censui, petendam esse remissionem, ac effectum probandæ facti qualitates, & circumstantias, ex quibus regulæ limitatio resultat. Cùmque hujus petitioni actor scripseret se opponeret, præsertim ex fundamento per Cameram approbato, omnino cessantis interesse dictæ Isabellæ, seu ejus interim defunctæ hæredis; idcirco adhuc militante obftaculo d. inhibitionis Imperialis, ne causa omnino indefensa remaneret, curatum fuit admitti duas præfati Principis primi Feudatarii interim defuncti filias pupillas, hodierni Principis respectivæ sorores, tamquam intercessas, utpotè vocatas per investituram, conceptam per masculis, & feminis. Cùmque de mandato Tribunalis eodem tempore propositum esset utrumque dubium, super remissione scilicet, & jam dictum super negotio principali, illo proposito sub die 4. Julii 1668. ad favorem utriusque partis respectivè prodiit resolutio, super concessione scilicet remissionis ad favorem hujus partis petentis, & ad favorem actoris in altero, quod scilicet manutentio alias decreta in bonis allodialibus, exequenda esset in dictis silvis, pascuis, & bonis intra hujusmodi Castrorum fines existentibus; sed neutra partium acquisite, data fuit utriusque nova audientia, quæ pendet.

Ista secunda pars resolutionis, non absque magna votorum discrepantia prodita, visa fuit incongrua, & omnino incompatibilis cum altera concessione remissionis, ad probandum eas qualitates, & circumstantias, ex quibus prætendebatur feudalitatem recitari, quasi quod ita esset prius decidere, & postea formare processum, seu ita decernere contradictoria; verum mihi, quamvis pro hac parte scribenti, dictamque resolutionem Advocati more actore impugnant, reflectendo ad veritatem, de stricto juris rigore probabilis, & compatibilis potius visa est, ob diversitatem scilicet Judiciorum petitoris, & possessorii, quoniam ubi feudalitas non est omnimò certa, & clara, sed sub dubio, an bona, de quibus agitur, sint feudalia, vel allodialia, tunc ob præsumptionem allodialitatis magis assistentem, & pro qua in dubio est regula, in possessorio etiam adipiscende, multò verò magis in illo retinende, potiores esse debent partes hæredis allodialis, ad tex. in cap. 1. §. Defuncto milite si de feudo fuerit controversia, cum concord. per Argel. de legitimo contradicatore quest. 17. art. 2. numer. 5. & sequ. Et magis ad rem in bonis existentibus intra fines Castris, quest. 19. art. 5. numer. 93. cum sequ. & conferunt que habentur in materia possessoria per Rolentat. c. 12. conclus. 12. & cap. 7. conclus. 48. cum sequent. ac etiam ad eadem materiam in Placentina hoc eod. tit.

Quod frequens, & quotidianum habemus in materia emphyteutica, quoniam pendente controversia inter Dominum directum, & hæredem emphyteute super facto casu devolutionis, vel super identitate, & comprehensio-

ne bonorum, interim in possessorio, heres, vel successor obtinere debet, ut habetur in *Hydruntina*, hoc eod. tit. Ac etiam frequentius habemus in materia fideicommissaria, an scilicet, & quando fideicommissarius sit heredi legitimus contraditor, & quis eorum obtinere debeat in possessorio, quoniam quale quale dubium concurrat, vel in de tractionum competentia, pro herede potius respondendum est, idemque in materia emphyteutica, & similibus, & sic compatibiliter clara remanebat, ex eo quod probationes in vim remissionis faciende, proficue, & operative remaneant in iudicio petitorio, ideoque stant bene simul in isto responderi debere pro Domino directo, & devolutione, & tamen in altero interim heredem obtinere.

Est bene verum, quod huiusmodi propositio in rigoroso puncto juris, & abstracte vera, in hac materia feudali, de facto, & in praxi locum solum obtinet in controversiis privatorum super successione, inter agnatos scilicet ab investitura vocatos, & extraneum heredem, vel successorem feudatarii defuncti, non autem in casu devolutionis, quia cum feudis, præsertim recta, & propria Castellorum, & Oppidorum cum iurisdictione, Vasallia, & Imperio, iuxta Italiam præsertim usum, non concedantur nisi per Reges, & Principes ipsorum habentes, cum alto, & supremo dominio, atque per proprios Magistratus huiusmodi causas cognoscens; hinc proinde fiscalium, seu Cameralium recepta propositio est, de facto ubique practica, quod fideus non litigat manibus vacuis, quæ propositio laudatur per Collegium Patavinum apud Peregr. conf. 2. num. 18. cum seq. lib. 1. & per alterum scribentem in eadem causa apud eundem Peregr. conf. 3. eod. lib. 1. n. 109. & seq. & per Rot. in *Sarasinaten*, fundi 1. Julii 1639. coram Cocchino apud Capyc. L. 11. consil. 75. num. 279.

Verum id servatur, & locum obtinet in illis ditionibus, & Principatibus, in quibus per eisdem Principes, & domini directi Officiales, & Magistratus causa cognoscitur, & iustitia administratur, ita ut verificetur illud vulgi dictum, quod siticus sit iudex, & pars; sed ubi causa cognoscitur in loco tertio, in quo dominus, quamvis in suo feudo iura Principatus habens, jure privati censetur, tunc difficile est huiusmodi praxis canonizationem obtinere.

Adhuc tamen in hac facti specie, ob aliquam suspicionem inconvenientium, quæ impedimento eorum, quæ super executione oriri possent, iustum, & a rationabile credendum, saltem ex prudentialibus motivis, omnino locum esse debere cumulationem possessorii cum petitorio, ita ut utrumque eodem tempore terminetur, atque non nisi post factas probationes, & causam in negotio principali bene discussam, tententur illi executionis actus, ex quibus resultare possunt inconvenientia, pro quibus removendis, sui alius iusta causa accedente, huiusmodi cumulationem concedendam esse, firmatur in specie feudorum eorumque devolutionis, apud Peregrin. dicto conf. 2. à n. 1. ad 23. ubi concordantes, & generaliter de eadem cumulatione, ex turbiditate possessionis, sui alia iusta causa, ita ut videatur materia arbitraria ex facti circumstantiis regulanda, patet ex deductis decif. 524. part. 5. recent. 250. part. 7. Buratt. & Adden. decif. 33. 48. 100. 285. & 522. & alias frequenter.

Neque in proposito intrant, quæ per Camerale præduntur circa iura Ecclesiarum Massana, seu Camera eius loco subrogata, non cessata per dictam alienationem sequentem de anno 1624. quoniam quicquid sit de huiusmodi præensione, id percutit controversiam inter ipsam Cameram, seu Ecclesiam, & Principem Plumbini in feudantem, non autem inter ipsam, & ejus subinfeudatum, ut habetur in præcedenti, occasione declinatoria, seu alterius articuli, an hoc esset feudum Ecclesiasticum, vel Sæculare.

Quatenus verò pertinet ad articulum, seu punctum principalem, an scilicet dictus Sforza prælatorum Castellorum directorum, ac omnium bonorum intra eorum fines existentium dominus, & possessor sine iurisdictione, obtinendo à dicto Principe, qui iurisdictionem, & Imperium habebat, facultatem redificandi ista Castra, & introducendi Vasallos, cum concessione iurisdictionis, & Imperii, sub ea conditione, per verba præcisa, quod dicta Castra, villas, seu pagos ab eo recognoscere in feudum pro se, & descendentes masculis sub iuramento fidelitatis, & juxta formam investiture rotinis feudi, cum subsequuta investitura ut supra, censetur etiam recognovisse, ac feudali qualitati submisisse dictas villas, tenetas, forestas & alia,

nulla cadebat questio potestatis, sed tota erat voluntatis, cum recepta questio sit, rem propriam, liberam, & alodialiam, posse ab alio recognosci in feudum, atque ubi iudicenter sequitur, & iurisdictionem accedit, illa bonæ fidei feudalia, quia occultatur actus donationis, quam ipsemet recognoscens in feudum facere dicitur ipsi domino, à quo immediate recipit sub diverso titulo, ad text. in *consil. in C. de donat. & scribentes communitur, de quibus Jacobus in investitura feudalis, verbo dictique Vallis promissum cognoscere, ille secundo, num. 21. 24. & 27. Fulgo. conf. 5. & post alios antiquiores probant, & admittunt plenè Menoch. conf. 1. num. 86. & seq. & conf. 191. num. 50. & sequentibus, Sald. conf. 135. nu. 106. & seq. apud quos constat solam questionem esse, vel ubi investitura desuper expedita non est, vel ubi id errori, seu ignorantie referri potest, ac firmatur per Rotam decif. 613. num. 5. part. 5. recent. & pro absolutio supponunt Oldrad. Bald. Alberic. Rosental. & ceteri, de quibus infra.*

Quod frequens habemus in materia emphyteutica, quoniam in plerisque Italiae partibus, constants fama est, illa bona, quæ per Ecclesias in emphyteusum sub modico canone conceduntur, originaliter fuisse eorumdem privatorum, quæ ea voluntarie ratione protectionis, & ad præservanda ea præjudicia, quæ in illis feudis frequentia erant, ab Ecclesiis recognoverunt, unico contextu ab eis receptum in emphyteusum, ut enunciatur in indulto per Urbanum VIII. concessio pro aliquibus Civitatibus Status Urbani impresso post dec. 7. apud Patell. & per Rot. decif. 6. post eundem in princip. dicta dec. 336. part. 11. recent.

In his autem specialibus, ac præcis terminis, non de facti habentur tractantes casum in specie, ex ea fortè ratione, quod præsertim in Italia, vel nulli, vel nimium rari sunt casus, in quibus possidens Castellum, vel Oppidum in liberum alodium, illud in servitium redigat, & ab alio in feudum recognoscatur, cum omnia feuda proveniant à concessione, quæ per dominum fiat Vasallis.

Et quamvis Oldrad. conf. 121. tractare videatur casum in terminis, quando scilicet quis ab alio recognoscit proprium Castellum, an censetur etiam illi recognoscere totum ejusdem castri territorium, & iurisdictionem, in qua questione Oldrad. qui apud omnes feudistas reputatur Antesignanus, illam examinando ad partes, ac recensendo prius fundamenta opinionis affirmativæ, deinde verò illa negativæ, istam nu. 11. in fine concludit sibi videri veritorem, nisi (sunt verba præcisa) observantia, vel communis loquendi usus, vel alius aliquis exterior interpretacionem aliam induxisset, eumque, reassumendo ejus dicta serè de verbo ad verbum, sequantur Alberic. seu quidam Bernardus apud eum in l. finalis, C. de iurisdictione omnium iudicum, n. 13. Bald. in c. 1. de Capitaneo, quia Curiam vendidit, n. 6. cum seq. Alvarot. & ceteri ibidem, bene Jacobus in investitura dicto verbo, dictique Vallis promissum cognoscere feudum, num. 2. 3. & 5. Rosental. c. 5. concl. 6. nu. 3. & concl. 9. num. 2. & 4. & ceteri communitur, ita ut modica inter eos variatio adesse videatur, & generaliter Menoch. lib. 3. præsump. 98. cum seq.

Nihilominus, bene præfatis autoritatibus consideratis, verè, & propriè casum nostrum non percutit, sed diversum, ubi scilicet agitur de Castro in sui propria, & grammaticali significatione sumpto pro loco munio, seu arce, ut patet ex omnibus prædictis, assignantibus rationem, quod sub Castri nomine venit recinctus murorum, ac repetit Rosental. cap. 12. concl. 15. n. 36. in qua conclusione n. 15. late agit de casu, quo Castellum ab alio concedatur in feudum, an sub eo veniant reliqua bona huiusmodi; hoc autem vocabulum non convenit istis Castris apertis, quibus nomen ville, seu pagi potius convenit, ut bene explicatur in eadem investitura, juxta verba superioris registrata; & sic dicti Doctores, verè & propriè percutere videntur illum casum antiquis temporibus frequentem, quod scilicet possidens Oppidum, vel alium locum iurisdictionalem, seu etiam plura loca & dominia, cum aliquo Castro, seu fortalio, istud ab alio potentiori vel protectionem, & defensionem ab eo obtinendam recognoscebat in feudum, eo modo, quo frequens praxis docet in pluribus locis munitis huiusmodi feudatariorum minoris potentie, qui se dant protectioni Regum, seu potentium Principum, introducendo in eisdem arces, seu loca mania, eisdem Principibus milites præsidarios, ut sequuntur fuit & prædicari videntur in Areibus Longoni, Monachi, Sabloneta, & similibus; & tunc juxta eandem praxim bene intrat per regula dicta opinio negativæ, quam Oldradus & sequaces merito dicunt veritorem, non solum ex ratione vocabuli per 10 eos

eos ponderata, sed etiam ex alia ratione bene considerata per Rosental. dicto c. 9. in glof. finalis sine, quod scilicet donationes non sunt multiplicandæ, & ampliandæ, sed potius restringendæ, unde si possessor Castellum & alodialis recognovit ipsum Castellum, illudque implicite donando in servitium redigat, præsumendum non est, quod donare voluerit etiam territorium & iurisdictionem.

Et ulterius dicta questio territorialis, id est iure territoriali, & terrendi, fonante in idem ac iurisdictione & Imperium, non autem de ipsorum bonorum in territorio existentium privato dominio, & sic verè & propriè, neque dicat autoritates percutunt casum prædictum, qui potius tractari videtur per alios, de quibus apud Nat. conf. 446. Sylvan. conf. 58. & 59. quod est idem conf. Nat. conf. 135. & alios, de quibus in Clomascen. Vallium, super questione, quæ bona, sita intra fines feudi, sub eo, ejusque concessione veniant, ac jure feudi censenda sint, in qua questione, ex deductis in eadem Clomascen. omnino veritas ac receptum est, sub feudo venire ea, quæ ex antiquo ejus statu, tanquam unita & connaturalia, cum eo annexa esse consueverunt, ubi præsertim, nullo alio intermediente, unum & idem corpus constitunt, sive, ut dicit Bald. in cap. primo de conventione inter masculum & feminam, numer. 3. faciant unum integrale, seu unum mansum, ut observat Nat. dicto conf. 446. numer. primo & 9. alias conf. 59. apud Sylvan. numer. 4. sequuntur Malcardade probatibus, conclusif. 79. numer. 25. & 26. Galeot. lib. primo contro. 7. numer. 67. & contro. 8. numer. 8. cum sequens, & non negat Sald. dicto conf. 135. edito in oppositum in eodem casu, in quo consulerunt Nat. & Sylvan. ubi proxime, dum supponendo juris principium tanquam irrefragabile, conatur illud evitare ex facta, quod fidei prædica, & bona contraria essent extra terminos feudi, & in territorio alio Castro adiacentium, ac etiam quod alia prædica & bona adiacenta essent alodialia, jure privato, per alios particulares possessa, cum aliis factis circumstantiis extrinsecis alodialitatem denotantibus, ut ex numer. 28. cum seq.

Sive, ut bene advertit Bald. in eodem cap. 1. de Capitaneo, qui Curiam vendidit, & sequuntur ceteri, attenditur destinatio ex statu vel consuetudine restituta, quod si totum territorium Castro assignatum fuerit, totum sub feudo veniat, ex theor. Bart. in l. prima, §. cum Urbem, nu. 5. ff. de pref. Urbis, Menoch. dicto lib. 3. præsump. 99. ubi quod venit omnia ea, quæ ex antiqua & originaria feudi natura venire consueverunt, ut bene comprobatur Penia in voto edito in causa Ferrariorum, seu Clomascen. Vallium.

Vel quod procedendum sit cum distinctione, in qua hujus questionis veritas consistere videtur, ut scilicet totum pendeat ex qualitate bonorum, aliique conjecturis & circumstantiis, ut ex Nat. conf. 506. num. 29. cum seq. Roza decif. 120. num. 10. & seq. & 164. num. 32. part. 6. recent. atque plures casus distinguendo, habetur super huiusmodi questione in d. Clomascen. Vallium hoc tit. ubi formiter & latius de articulo.

Applicando igitur ad rem, five procedamus cum dicta theorica Oldradi d. conf. 121. cum qua pertranseunt Alberic. Baldus, Jacobus Rosental. & ceteri de quibus supra, sive cum aliori distinctione, de qua Nat. Sylvan. & alii, vel demum cum distinctione, ut totum pendeat ex qualitate bonorum, & per conjecturis, hisque omnibus insimul quod ponderatis probabilibus videtur, ut omnia hæc bona, tanquam continens, & contentum, juxta ingeniosam distinctionem Baldi in d. c. 1. de Capitaneo, qui Curiam vendidit, sive tanquam unum mansum, unumque integrale, veniant sub recognitione feudali, & sub nomine Castellorum, seu Villarum, & pagorum.

Atento siquidem communi usu loquendi, seu observantia, ut ponderat Oldrad. & sequaces, sic hoc vocabulo Castellorum omnia hæc bona, tanquam unum corpus seu unitas, ex antiqua & originaria natura venire consueverunt, in ipso enim primo actu, cujus memoria habetur, alienationis scilicet de illis facta de anno 1264. per Episcopum Massanum in Tudinos, enunciatur Castellum, sub quo totum nomine venire non poterat ipsa Castra materialia muris recincta, juxta dictam vocabuli significationem, dum non erat in rerum natura, sed solum venerunt silvæ, tenetas, forestæ, & alia huiusmodi, unum mansum seu tenimentum constitutiva, idemque in alienationibus circa annum 1400. per dictorum Tudinorum successores factis Gherardo, qui ea incorporavit cum Statu Plumbini, ac

etiam in legato de anno 1473. de illis facta per Jacobum tertium ad favorem secundogeniti, & in tribus sententiis Rotabilibus latis ad favorem Ducis Valentini de anno 1501. & in sententia lata per Cameram ad favorem Ecclesie Massanae de anno 1540. aliique actibus ante redificationem recentibus per Menoch. conf. 147. Cephal. conf. 558. & seq. Decian. conf. 40. lib. 4. quia semper sub nomine Castellorum sui tenimentorum, & locorum, aliud non significatur, nisi huiusmodi bona tanquam unum corpus, cum verificari non possent in ipsis Castris materialibus, utpotè in rerum natura ut supra non existentibus.

Comprobat idem qualitas bonorum, quod scilicet non agitur de vineis, domibus, pomariis, olivetis, aliisque prediis cultis ex hominis privati industria ad eum statum redactis, privatum dominium de sui natura præferentibus, sed de silvis, montibus, & forestis in primo statu naturæ existentibus, & que propriè jure publico & dominicali possideri solent, ut ponderatur in dicta Clomascen. Vallium, ubi concordantes, & quod magis, nullas aut privatus in his finibus bona possedit, vel possidet, sed totum est domini, unius ejusdemque naturæ, tanquam unum mansum, ut supra.

Accedente etiam verisimili voluntate concedentis, ac etiam concessionarii, cum enim huiusmodi Castra seu loca cum dictis bonis, & integro eorum statu, spatio annorum 70. & ultra unita & incorporata fuissent cum reliquo statu, ab eo accidentaliter separata, tanquam species appannagii seu vite militie dicti feudogeniti ejusque descendendum, idcirco occasione immutandi statum, & concedendi his feudogenitis, etiam iurisdictionem & Imperium, prudenter concedens, ita pinguis consulendo dictæ lineæ feudogeniti, ea defecta curavit, mediante huiusmodi recognitione, reintegrare feudum principale, illudque restituere pristinae unitati, ac providere, ne ad extraneos ea alienas manus transiret hæc membra, atque ista confederatio præsertim pro meo iudicio videbatur ponere rem in claris, multo magis præmissis omnibus insimul ponderatis, cum consueta regula, ut singula que non profunt, & in ambiguis, & conjecturalibus perpetuo attendenda, præsertim verò in factis antiquis, ut apud Cavale. decif. 99. & frequenter.

Mirificè id comprobari poterabam ab observantia individuali ejusdem Status Plumbini, cum enim ille per secula possideret tanquam liber & alodialis, deinde verò possessore solius protectionis illum voluntarie recognoverit in feudum ab Imperatore, facta causa devolutionis, sub ea non venerit solum Oppida, & Castra cum iurisdictione, & jure territoriali, sed silvæ, Montes, Valles, tenetas, forestæ, fodinæ, & alia tanquam membra hujus corporis, unum mansum seu integrale constitutiva, que tanquam dos feudi, illis tantum bonis ex ceptis, de quorum acquisitione constabat ex privatis titulis, eo modo, quo in devolutione feudorum Ferrariae, & Urbini, ac similibus practicum fuit, ex deductis in dicta Clomascen. Vallium, in Pisanien. Molendinorum, & in aliis.

Et magis in individuo, idem actor ad cumulandos titulos, magisque se conservandum, obtinuit Camera, & Sede Apostolica istorum Castellorum novam investituram, sub qua necum ipsa Castra, sed etiam fodinæ, silvæ, forestæ, tenetas, & alia omnia, de quibus est questio, venire declaratum fuit, quæ observantia magnum est adminiculum status precedentis, omnia insimul, & unitum, ut supra combinando.

Scribentes pro actorè immorabantur solum in regula generali, de qua Rosental. dicto cap. 12. conclusif. 15. Duran. decif. 28. Buratt. decif. 426. decif. 72. post Cenc. de censib. 69. part. 8. recent. & in aliis, quod scilicet omnia, quæ sunt intra fines feudi, præsumuntur feudalia quoad iurisdictionem, & jus territoriale, non autem quoad dominium, quod etiam in ipso feudatario præsumitur alodialia; verum istud erat fundamentum omnis vagum, quoniam in latus habetur in dicta Clomascen. Vallium, ista propositio locum habet in his bonis, quæ de sui natura sunt juris privati, & similia illis, quæ per alios privatos in loco possidentur, quorum jure feudatarius, cum personarum possessione censendus est, nisi feudaltatis indicia, & adminicula concurrant.

Aliqui ex iudicibus, magnam & fortè totam vim constituebant in eo, quod cum per Jacobum Tertium ut supra, iurisdictione, ac jus territoriale separata esset ab ipsis silvis, tenetis, & bonis, ita hæc effecta essent alodialia, & juris privati, quasi quod feudalitas consisteret in sola iurisdictione, que

que occasione reedificationis concessa fuit, sed hoc videbatur equivoce clarum, quoniam jurisdictione perneceffe non importat feudatitatem, sed est de sui natura allodiali, adeo ut possit habere Castrum in feudum ab uno, & jurisdictionem in allodium ab altero, five quod Castrum iure feudum sit unius, & jurisdictione sit alterius, Rosenthal. d. cap. 5. concl. 6. n. final. cum concord. in glo. finali, & habetur in Tiburtina Castrorum hoc tit. atque ita talis fuisse partium intentio, recognitio in feudum, & respectu investitura, fuisse de ipsa jurisdictione, quae dabatur, non autem de Castris, quae sunt quid diversum.

Imperator siquidem Maximilianus, neque jurisdictionem, neque Imperium dedit Jacobo Quarto hunc Statum ab eo recognoscens in feudum, quia haec jam habebat, sed solum protectionem, & tamen omnia loca, & bona sub recognitione, & devolutione venerunt, multo magis in presenti, dum in feudum dedit jurisdictionem, & Imperium, ut aliquid daretur, & reciperetur hinc inde, fortius vero ex dicta potissima ratione restituendi feudum principale iure unitatis, postquam cessaverat causa, ob quam separatio facta fuit ut supra.

Est antiquiora, & altiora petere volumus, quando Rogerius Normannus Sicilia Comes Regii nominis cupidus, ex illarum Regionum malo fato, in utraque Sicilia nomen Regium, ac Regni speciem introducendo, iuxta unam opinionem, Regnum recognovit in feudum ab Anacleto Antipapa, obtemperata etiam deinde confirmatione ab Innocentio Secundo, jam partim iure proprio, & ex majorum successione, partim vero Deusscit quomodo Civitates, Provincias, & loca possidebat, cum omnibus regalibus, aliud non obtinendo ab investenda, nisi titulum Regium, & tamen omnia venerunt sub recognitione in feudum, & successivè sub devolutione.

S U M M A R I U M.

- 1 De statu cause.
- 2 De articulo principali, an recognoscens in feudum Castrum, censetur etiam recognoscere bona in eo existentia.
- 3 Pendente questione devolutionis, quis debeat obtinere in possessore.

ANNOT. AD DISC. LVI.

Ista causa finem receperat per honestam concordiam, jam conclusam, cujus effectum impedit nimia scrupulosa legalitas aliorum defensorum actoris, dum defuncto interim Principe Nicolao, eiusque filio, & successore distrahente omnia existentia in hoc Principatu, iuxta ea, que recognoscitur sub tit. de credito disc. 13. & 191. cessavit illa unica timoris occasio in hoc discursu, vel procedente infirmata, ob quam expediebant hanc litem sustinere; unde propterea nimium affectate cautele inulerunt damnum in toto illo, cui magis consili curabatur, ideoque causa adhuc pendet, sed sine spe effectus.

De articulo autem principale, an scilicet recognoscens proprium Castrum in feudum ab alio, recognoscere etiam censetur praedia, & bona privata in coexistentia, & quando haec efficiantur etiam feudalia, pluries habetur actum hoc ead. tit. & praesertim supra disc. 2. & 47. infra, disc. 63. ac etiam in Romana seu nullius disc. 111. ideoque superfluum est repetere, & praesertim d. disc. 63. & disc. 111. advertitur ad distinctionem in praesenti contentam, quae videtur nimium probabilis, beneque fundata inter concessionem veram, quae fiat ab investendo de re propria, & illam concessionem fictam, quae ab investendo de re sua recipiatur, atque in effectu ista est potius dicenda questio facti, & voluntatis, quam juris, & per consequens erroneum videretur in ea procedere eam generalitatem, vel cum illius autoritatibus, quae percutiant terminos diversos, ac habentes diversas circumstantias, ex quibus revera totum pendet.

De altero autem puncto, an scilicet pendente questione devolutionis feudi, possessio esse debeat penes feudatarium, vel penes dominum, nimium rara, penesque nulla videntur hodie quaestiones in praxi, retenta eadem distinctione pluries infirmata super in annot. ad disc. 53. & 54. & in aliis frequentibus, inter feuda vera, & propria, quae solum hodie videntur esse illa, quae obtinerantur a Principe, habente jus belli, & fidei, & alia impropria, quae obtinentur ab Ecclesiis, aliisque inferioribus; isto etenim secundo casu intrare potius videntur termini emphreutici, de quibus in sua sede sub tit. de employ. disc. 7. & 59. in altero autem, communis vide-

tur consuetudo sicuti observantur, & consuetudinis, questio juris, sed differantia, & consuetudinis.

R O M A N A
ANNUAE PRESTATIONIS,
SEU PRETII MINUTORUM,
PRO PRINCIPE PLUMBINI NICOLAO
LUDOVISIO,
CUM DUCISSA BRACCHIANI ISABELLA
APPIANA.

Causa disputata coram A. C. & scriptis per
Concordiam.

Obligatio facta per feudatarium intuitu feudi, seu pro rebus occasione feudi quaesitis, an cesset, & resolvatur amisso feudo, non per devolutionem, vel culpam, sed ob occupationem ab inimicis Domini.

Et quid sequuta eiusdem feudi recuperatione cum vi bellica, num inter ratio postliminii pro dicte obligationis reviviscit. Et aliqua de pacto resolutive super huiusmodi obligationibus adjecto, in cujus gratiam illud appositum censetur.

De expensis belli factis per dominum pro recuperatione feudi ab inimicis, an rescipi debeant per feudatarium, vel converso factae per feudatarium, an rescipi debeant per Dominum.

Tempus belli, seu alias calamitosum, & impeditum, an computandum sit in termino conventionali, & aliqua de mineralibus, an pro eorum pretio debeantur fructus recuperativi, ut super eis pascantur liceat citra labem usurae.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 Verbum, possit, importat facultatem.
- 3 Pactum resolutivum censetur adiectum in gratiam creditoris, eoque volente, non allegabile per debitorem.
- 4 De bonis, quae ab hostibus capta, & recuperata postliminio redeunt ad priorem causam.
- 5 Declaratur conclusio, de qua n. 3.
- 6 In conditionalibus sufficit conditionem semel ac momenta extitisse, non curata perseverantia.
- 7 Declaratur melius conclusio, de qua n. 3.
- 8 Quando conventiones, & onera suscepta per feudatarium etiam in bonis allodialibus censentur occasione feudi, & respectu ad illius possessionem.
- 9 Obligatio occasionalis, seu causativa cessat cessante causa.
- 10 Successor feudi an teneatur restituere primo feudatario accessiones, & melioramenta quomvis separabilia.
- 11 Declaratur conclusio, de qua num. 6. & quando cessante conditione redacta obligatio casuativa.
- 12 Empior, qui ut eversionem impeditur, vel rem evictam recuperaret, solvit pretium, dicitur obtinere ex nova causa.
- 13 Dominus an recuperet a feudatario impensas pro recuperatione feudi, vel contra feudatario a domino.
- 14 Non datur accessio pro credito pecuniario super pretio rei fructifera salva sorte, nisi in certis casibus.
- 15 De requisitis contractus censuales.
- 16 De interesse lucri cessantis, & damni emergentis.
- 17 Quomodo in fodinis, & mineralibus datur annuus fructus, cum effectibus exinde resultantibus.
- 18 Tempus belli, seu alterius impedimenti, an sit subducendum ex termino conventionali.

D I S C. LVII.

Evoluta Statu Plumbini ac Imperatorem ob extinctam lineam masculinam Jacobi Quarti Appiani, qui illum in feudum recognoverat, eoque sub feudatario Principi Nicolao Ludovisio, iuxta iterum de qua supra in Massanen. Castrorum hoc ead. tit. perem exorte fuerunt controversiae inter dictum Principem, & Isabellam Appianam Bracchianam Ducissam, ultimi Principis Sororem, & ab intestato haeredem, praesertim vero super quibusdam accervis, seu montionis illius terrae venosae, quae extrahitur a fodina pro vena

vena colligenda, & quae vulgo minuti dicitur, ob parvos, & minutos eiusdem venae lapides cum dicta terra admixtos, pretendunt dicta feudatarii haereditate allodiali, dictos minutos, seu montonos, tamquam fructus feudi a solo iam separatos, esse allodiales, atque adalodiale haereditate spectare; converso autem pretendunt feudatario esse cessare, montonos praedictos, tamquam solo demum coagulatos, dici non posse fructus a feudo separatos, ideoque cum eo devolutos esse; atque initio super huiusmodi controversiis compromisso in personam Ducis de Medina de las Torres, tunc Regni Neapolitani Proregis, hic de consilio plurium sapientium, regiorum etiam officialium, per arbitratorum sententiam, censuit, & declaravit, montonos remanere debere penes Principem, cum istius obligatione solvendi Ducis annuus scilicet 3600. cum facultate redimendi ad rationem non pro centenario, importat scilicet 60. m. ad ejus laudi normam devenitum est ad concordiam, sub eo pacto, quod in evenum in quem Status Plumbini, per devolutionem, vel quemcumque alium casum, non spectaret, seu non possideretur amplius per dictum Principem, ejusque descendentes, Ducissa, vel sui revertentur ad primave jura, Princeps vero, vel sui remaneret liberati, & dicta fors principalis in toto, vel in parte soluta esset, restitui deberet.

Cum autem de anno 1646. arma Regis Christianissimi, expulso dicto Principe, Arcem Longoni, & Plumbinum, totumque statum occupasset, sequuta postmodum de anno 1649. recuperatione cum armis Regis Catholici, dicto Principe ad primave possessionem reintegrato, Ducissa praedicta cum pulsat coram A. C. ad solutionem dictae annuae prestationis, & post plures disputationes, honesta concordia dicto Principi satis proficua controversiam terminavit.

In huiusmodi autem disputationibus coram Iudice, ac etiam in Advocatorum congressibus pro causa directione, ex parte dicti Principis rei conventi habitis, de pluribus punctis actum fuit, primò autem, & principaliter, an factus esset casus dicti pacti resolutive concepti in quemcumque casum, in quo Status ad alios extra Principem, ejusque descendentes deveniret, stante dicta expulsiōne, ac respectu possessione sub nomine Regis Christianissimi per triennium, & ultra; super quo puncto, scribentes pro actrice nihil inistebant in eo, quod pactum praedictum esset ejus facultativum, utpote conceptum cum verbo, possit, quod de sui natura facultatem importat, & in cap. 1. verbo possit, de res. jur. in 6. & in l. sepe auctori, ff. de off. praesidis, Sard. conf. 98. n. 7. decis. 309. n. 3. p. 2. recent. & sapientissime Barbol. d. d. 268.

Fortius quia talis est natura pacti resolutive, ut scilicet adiectum censatur in gratiam creditoris, cuius interest impleri, ac pro ejus majori cautele, ideoque semper intelligitur creditor volente, ne alias detur inconveniens, ut inducta favore creditoris, retorquantur in ejus odium, quodque morosus debitor, ex ejus culpa, & delicto in non observando promissam fidem, commodum, & utilitatem reportet, ad text. in l. 2. C. de lege Commissoria eum concord. per Surd. conf. 98. & 365. Merlin. de pignor. lib. 5. q. 7. Buratt. dec. 110. n. 13. decis. 422. n. 4. p. 4. recent. decis. 109. n. 6. p. 7. & sepius.

Ac etiam, quia ubi etiam pactum esset commune, nihilominus dici non poterat ejus casum evenisse, ob subsequitam recuperationem, per quam ex fictione postliminii, casus habendus erat pro non sequuta, ex deductis per Crotium de jure belli, ac pacis, lib. 3. c. 9. de postliminio, & admittunt omnes, de quibus in Januen. vena, disc. sequenti, tractantes questionem, an postliminium intret in navibus, ac etiam in mercibus, aliisque bonis mobilibus in bello captis, & deinde recuperatis, de ipsis vero Civitatibus, & locis, sive etiam de stabilibus nemo dubitat.

Converso scribentes pro hac parte, inistebant in eo, quod dicta conclusio de pacto resolutive ahaendo per solum creditorem, in cujus gratiam adiectum est, procedere non deberet, quando ultra conventionem regressus creditoris ad primave jura, expressè deducta esset in stipulationem etiam liberatio debitoris, quasi quod ille esset casus mixtus non cadens sub dicta conclusione, quodque partes pro conventionem voluerint facere aliquid plus, quam de jure dispositum esset, ita reddendo pactum reciprocorum, quod tamen cum aliqua speciali autoritate non probant, sed solum cum regulis generalibus, quod pacta, & partium conventiones cessare faciunt juris regulas, & dispositionem.

Card. de Luca, Lib. I.

Neque ob stare dicebant subsequitam recuperationem; tum quia in conditionalibus sufficit conditionem momento temporis extitisse, non curata perseverantia, sed spectato solo facto sine purificationis, quomvis momentaneo, l. si inter virum 9. & l. sed & in illo 18. ff. de reb. dub. l. si quis non redem. 7. Cod. de institut. & substitut. cum concord. in Romana augmenti dotis 9. Junii 1659. & 19. Aprilis 1660. coram Bonellina, de qua causa habetur actum sub tit. de dote pro Bonellina, ubi ex professo de hoc puncto, quando scilicet conditio exigat perseverantiam, vel sufficiat momento temporis extitisse.

Tum etiam quia, cum recuperatio dicti status sequuta esset vi bellica, & cum ingenti sumptu, nedum Regis Catholici, quoad hunc effectum potentissimum Classem maritimam paravit, sed etiam ipsius Principis multa virtualia, aliaque necessaria pro servitio exercitus ministrantis, ita considerandus videbatur, potius tanquam novus dominus ex diverso titulo acquisitionis, adintra emptoris, cum nova solutione pretii evictionem impediens, sui rem jam evictam recuperantis, ut infra, vel quod saltem actrix contribuere deberet in expensis.

Quamvis autem ego scribens in causa pro eodem Principe pro convento, more Advocati eidem motibus quoque adhererem, eaque cum apparentibus rationibus, vel regalibus, & autoritatibus generalibus, aut similibus comprobare conarer, nihilominus reflectendo ad veritatem, quam ab initio, & in primo congressu, iuxta meam consuetudinem, libere insinuavi, remanendo in hac opinione singulari, dicebam hoc fundamentum pacti resolutive esse omnino debile, nullamque habere substantiam, non quidem ex dicto motivo, super quo principaliter, & omnino inistebant scribentes in contrarium, quod scilicet pactum utpote adiectum in solam gratiam actricis, cuius annua praedictio solvenda erat, ab ipsa solum volente esset allegabile, non autem a debitore; sed ex altero motivo, quod magis me stringebat, subsequente recuperationis, seu postliminii, per cujus fictionem dici poterat casum non evenisse.

Quatenus enim pertinet ad dictam conclusionem pacti resolutive non allegabilis, nisi ex parte creditoris, dicebam eam esse in suo casu veram, sed non applicari ad illum praesentis questionis; procedit enim, ubi illud conceptum est sub conditione mere voluntaria ex parte debitoris implenda, ita ut pro majori observantia promissorum, ac urgentiori stimulo ad adimplendum adiectum sit, in quibus terminis procedunt dicta, & aliae similes autoritates, ac etiam assiluit superius assignata ratio: secus autem, ubi conceptum est sub conditione casuali, cuius eventus culpa debitoris tribui non valeat, tunc enim in utriusque contrahentis gratiam, nisi verba in contrarium urgeant, adiectum esse censetur eo natura correlativorum, seu aequalitatis inter contrahentes servanda; Purpurat. conf. 557. numer. 28. Sylvan. conf. 103. numer. 23. fortius vero, ubi verba assilunt, ut in praesenti, dum uterque effectus ad utriusque contrahentis aequalem favorem in pactum deductus est, creditoris scilicet redimendi ad primave jura, & debitoris obtinendi liberationem, cum actione etiam repetendi solutum, quod evidenter implicat cum dicta conclusione referendi usum dicti facti ad solam facultatem creditoris, ubi enim assilunt verba, vel urgent conjecturae huiusmodi verisimilis voluntatis, planum est, pactum remanere reciprocorum, & ad utriusque favorem, Purpurat. & Sylvan. proxime supra, Assil. decis. 397. numer. 6. Surd. decis. 113. numer. 7. ubi Addet. & admittitur d. decis. 422. numer. 7. parti 4. recent.

Clarius vero, ac extra diffultatem ratione subjectae materiae, cum huiusmodi conventio correptiva esset ad feudum ejusque possessionem, tam in origine, seu causa transactionis, dum Princeps non alia ratione jus, seu actionem in huiusmodi montionis habere pretendebat, nisi tanquam possessor feudi, de cujus pertinentiis esse dicebantur, quam etiam, quia sibi tanquam privatum, & independentem a feudo, nullatenus expediebat habere huiusmodi bona penè inutilia, quia eatenus expediebat habere, quatenus esset etiam possessor fodinae, pro habendo eo jure privativo, quod pro facilliori, ac magis proficuo dictae fodinae usu moraliter necessarium videretur, iuxta ea, quae habentur in Romana locationis vene ferri, sub tit. de Realibus ad Romanam mineralium; unde propterea clarum dicebam voluntatem non contrahendi, dictamque obligationem non succipiendi, nisi occasione feudi, & respectu ad ejus pacificam possessionem, liberumque dictae fodinae usum, & sic rebus in eo statu permanentibus, & consequenter